ILLVSTRIS, ET MAGNIFICI DOMINI

D. HIERONYMI MILONSKI

SACRÆ SERENIS. REGIÆ MAIESTATIS SECRETARII, Zupparum Cracouiensium vigilantissimi Administratoris, vnice dilectis filiis,

LAVRENTIO ET WLADISLAO

In spem & ornamentum patriæ crescentibus,

JOANNES BROSCIVS CVRZELOVIENSIS DOCTOR MEDICINÆ Ordinarius Astrologus & Eloquentiæ Tylicianus Professor, S. D. P.

NOn ita pridem dederam Studiosæ iuuentuti gustum quendam Architecturæ militaris: vt vero complementum eius habeatur nonnulla adhuc proponenda sunt è Nepero qui cum Rabdologia ediderat tabulas adumbratas solummodo. Perficere enim ob ingrauescentis morbi vim non potuit, vt aliquando ad me ipse perscripsit. Harum vnam denuo à primis principiis deductam vobis offero: vt in Academia mox ab ista ætate Geometriæ & Arithmeticæ vsum coniungere adsuescatis. Res non est difficilis numerandi tantum aliqua praxis habeatur. Atq; hic circa figurarum, quas ordinatas vocant Geometræ, comparationem, mens nonnihil occupabitur, vt iam ista iucunda exercitatione implantetur vestris mentibus ordo Harmonicus, quo veteres exeoli & perfici voluerunt eos qui virtutibus moralibus, vel quod idem est Platoni politicis (neq; enim boni viri & boni ciuis officia seiungi debent) ab adolescentia daturi essent operam. Hoc Socrates apud Plat[illegible] diserte proposuit: hoc è Platone Proclus repetiit. Platoni vero ipsi in Timæo mathesis κατὰ παίδευσιν ὁδὸς ad eruditionem via nominatim appellatur. Hanc ergo vobis propono, vt expectationi Illustris & Magnifici Parentis vestri, qui vobis omnium virtutum, sed præcipuè prudentiæ atq; benignitatis in viros literarum amantes, domesticum exemplar est, generosa ingenia vestra quam primum respondeant. Valete in ornamentum Patriæ. Cracouiæ, E Maiori Collegio Academiæ VIII. Octobris. 1627.

Tabula laterum & quadratricum poligonorum.

Trigoni 1000	1520	1993	2450	2897	3339	3778	4215
658	Tetragoni 1000	1312	1612	1906	2197	2486	2774
502	762	Pentagoni 1000	1229	1453	1675	1896	2114
408	620	814	Hexagoni 1000	1183	1363	1543	1721
345	525	688	846	Heptagoni 1000	1147	1304	1455
299	455	597	734	868	Octagoni 1000	1132	1262
265	402	528	648	767	884	Nonagoni 1000	1116
237	361	473	581	687	792	896	Decagoni 1000

THEOREMA I.

Vt 1000. ad latus datum nominati polygoni: ita numerus secundus columnæ nominati polygoni ad quadratricem eiusdem polygoni.

THEOREMA II.

Vt 1000. ad quadratricem datam alicuius nominati polygoni: ita numerus secundus lineæ illius polygoni ad latus eiusdem polygoni.

THEOREMA III.

Duorum polygonorum æqualium seu eiusdem quadratricis, vt 1000. ad latus datum primi: ita numerus interceptus à columna primi & linea secundi ad latus secundi.

THEOREMA IV.

Duorum polygonorum eiusdem lateris, vt 1000. ad quadratricem primi datam: ita numerus interceptus à linea primi & columna secundi, ad quadratricem secundi.